



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. VII. Quàm excellenti modo rerum omnium amabilitatem intrà se colligat, & meritò propterea amandus super omnia sit Deus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

tum existimans, proprias aliquando justitiæ sibi partes resumat, diuque suspensum extremæ ultionis formidolosissimum fulmen in illius denique caput contorqueat: veluti in tot alios contorsit, quibus pluries, pluriésque antea facile veniam præbuerat. Inferorum carcer innumeris frequens est animabus, DEI bonitate, ad eum minus timendum, neque ideò, quantum par fuisset, observandum, abusus. *Quis non timebit te, ô Rex gentium? Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Intelligite hæc, qui obliviscimini DEUM, nè quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* (*Jerem. c. 10. Ps. 89. & 49.*)

CAPUT VII.

Quàm excellenti modo rerum omnium amabilitatem intrà se colligat: & quàm meritò propterea amandus super omnia sit DEUS.



Amabile esse quoddam objectum, nihil aliud significat, quàm rationem aliquam illius amandi existere: ut proinde tanta, cujusq; rei amabilitas sit; quot, quantique sunt ponderis,

ris, quæ ad illius amorem rationes impellunt. Hæ porrò, quemadmodum non nisi in bono quòpiam consistunt; ità pro bonorum diversitate in tres classes dividi queunt: in bona videlicet, vel quæ ad propriam objecti amabilis perfectionem spectant, unde amor puræ charitatis, benevolentiaque existit, vel quæ à munifica ejusdem erga nos charitate accepimus, unde amor grati animi provenit; vel quæ per nostrum ipsius amorem consequi possumus, unde amor cupiditatis exoritur. His itaque generatim præmissis, si planum ego fecero, nulli trium ejusmodi rationum tantam vim esse ad cujusquam rei, vel personæ amorem impellendi; quanta earum unicuique inest divini amoris in nostra voluntate excitandi; an non palàm constabit, totam quarumvis personarum, & rerum amabilitatem quàm excellentissimè in uno DEO contineri: dignissimùmque esse, qui cæteris omnibus, quotquot, & qualiacunque sunt, objectis impensius ametur? Constabit profectò, juxta exemplum ab Ecclesiastico allatum, ubi ait: *secundùm ligna silvæ ignem exardescere.* (c. 28.) Cùm enim amor ignis speciem referat, illiusque incitamenta, & rationes instar materiæ sint, quæ ad ipsum producendum, atque alen-

alendum requiritur; consequens procul dubio est, ut, ubi amplius de sua materia nanciscitur; major ibi pariter, & vehementiori cum æstu exardescat. Attende igitur, Lector, quàm clarum, atque evidens secundum unamquamque trium partium illud tibi antecedens exhibeam.

2. Et primò grande incitamentum, ad quamcunque personam amandam, sunt præclaræ illius dotes: veluti generis splendor, conditionis sublimitas, venusta corporis species, morum elegantia, ingenii acumen, doctrinæ amplitudo, eloquentiæ ubertas, excellentia animi, modestia, liberalitas, fides, & alia istiusmodi decora; unde fit, ut multas egregiarum hujus generis qualitatum in aliquo aspicientes, præsertim si eadem supra usitatum, & vulgarem modum emineant; suavi quadam violentia ad illius amorem nos rapi experiamur. Imò, vel inter audiendum, quæ de aliqua tali persona circumferuntur, famæ præconia non possumus, non continuo amica voluntatis propensione in illam ferri, de illius gaudere successibus, illam cominus nôsse optare, & felices nos reputare, si nos quoque ab ea nosci, atque amari contingeret. Boni quippe excellentia centrum illud

lud est, quò naturæ suæ instinctu amor tendit: neque plus proportionis, & sympathiæ habet seu visus cum amœna colorum temperie; seu auditus cum numerofo vocum concentu, seu alia quæque naturalis facultas cum peculiari suo objecto, quàm voluntas cum bono. Quæ cum ita sint, proponat sibi quisque Cyros Xenophontis, Lucani Catones, Plinii Trajanos: imò novos fabricet Heroas, quales ad omnigenæ perfectionis ideam procedere ingenium potest, & secum perpendat, num in eorum ullo tot, tamque insignes prærogativas summa omnia comminiscendo coadunare poterit; quot, & quales tum supernaturalis fides, tum ipsamet humana ratio spectandas in DEO nobis exhibet. Cogita illum, infinitis ante mundum sæculis à se ipso existentem, ullamne alibi æquè illustrem, ac vetustam nobilitatem reperies? Cogita, quidquid usquam rerum est, terrena omnia, & cælestia pro arbitrato suo moderantem; ullumne hoc altius intueri usquam licebit dignitatis fastigium? Quid de illius pulchritudine eloquar adeò præcellenti, & eximia, ut videri palàm nequeat; quin plenè beatos spectatores suos reddat, pèrque totam æternitatem in jucundissima sui contemplatione defixos detineat?

at?

at? Quid de sapientia, quam nihil veri latet? Quid de potentia, cui maxima quæque efficere nihilo est laboriosius, quàm velle? Quid de clementia, nemini, quamvis mille criminum reo, simul atque illa retractârit, veniam negante? Quid de munificentia, quæ omnibus omnia, nihil à quoquam mercedis, & fructûs recipiens largitur? Quid postremò de tot aliis illius perfectionibus dicam, quarum justæ apud nos æstimationi nihil, nisi earum infinitas obest, nostræ mentis captum quàm longissimè excedens, nec propterea se finens à nobis, nisi visu obscurissimo percipi? Unū hoc dixisse sufficiat, quidquid præclari, eximii, & amabilis sive oculus vidit, sive auris audivit, sive in cor hominis ascendit, nihil esse aliud, quàm tenuem scintillam, & exiguum, ac rude immensissimæ ipsius amabilitatis vestigium.

3. Quapropter, si paucula quædam decora, & illa eadem quàm plurimis imperfectio-
nibus mista, cujusmodi ea sunt, quæ in creatis
objectis intuenda se objiciunt, tanta nihilomi-
nus vi ad sui amorem nos rapiunt; quidni
multò majorem obtinere vim debeant, nostræ
voluntatis ad DEI amorem trahendæ, omnia,
quæ cogitari possunt, decora, secundum to-
tam

tam excellentiæ suæ plenitudinem, & sinè ulla deteriorum qualitatuum admittance, intrà perfectissimum illius *Esse* collecta? Si vel unica boni, & perfectionis stillula ab eo in has, illasve res creatas profusa, explendis nostris cordibus sufficit; quidni suffecturus magis ipse sit, cujusvis boni, & perfectionis exuberantissimus fons? Si post evanidam imperfectæ pulchritudinis speciem attoniti, & vix nostri compotes currimus; quantò vehementiore par est animi impetu erga ipsum feramur, totius seu creati, seu creabilis pulchri absolutissimum, & inimitabile exemplar? Egregiè D. Augustinus, (*In Ps. 44.*) *Amemus illum, aut, si invenerimus in eo aliquid facti, non amemus. Ecce ipse in nobis invenit multa facta, & amavit nos. Si aliquid facti invenerimus in eo, non amemus.* At illius amabilitas (reponet hìc aliquis) non adeò mihi est perspicua, ut, quæ in objectis nostratibus cernitur. Esto: sed quid tamen id refert? cùm nihilominus infinito intervallo hanc excedat, neque plùs ad amorem excitandum objecti cognitio, quàm ejusdem bonitas faciat. Age igitur partis unius exuperantiam cum alterius exuperantia in comparationem vocemus. Rerum sensibilibium cognitio DEI cognitionem clari-

ta-

tate, DEI bonitas earum bonitatem magnitudine exuperat. Quanta est tibi claritatis exuperatio? Certum nempe intrà modum finitum: cùm lumen, in quo objecta sensibilia perspicimus, haudquaquam infinitè clarius eo sit, in quo DEUM mente apprehendimus. Quid bonitatis exuperatio? Quanta hìc dicenda est? nihilo sanè infinità minor: cùm DEUS bonum sit infinitè aliis omnibus majus. Et post tantam exuperationis hìc quovis limite ulterioris, illic certis limitibus clausæ inæqualitatem, dubitare quisquam poterit, utra demum ex prædictis partibus majorem excitandi amoris vim habeat? Imperfectior DEI cognitio obstarè tantùm potest, nè illum infinitè amemus, quod necessariò eveniret, si non modò ut infinitè bonum, sed infinita etiam cum claritate cognosceremus. At nullo pacto obest, nè ille, etiamsi aliquantò minùs clarè, quàm bona sensibilia, cognitus, amari tamen à nobis propter infinitam divinæ suæ bonitatis præstantiam plùs iis omnibus possit.

4. Talis itaque, & tantò quavis alia superior absoluta DEI amabilitas est in excellentissimis sita divinæ illius naturæ perfectionibus: quæ propterea solæ, & seorsim à quocun-

cunque alio respectu abunde sufficiunt ad omnium voluntates summo illius amore inflammandas. Videamus jam, num ad idem præstandum satis etiam per se sint, quæ ipse prior edidit flagrantissimæ erga nos charitatis specimina: ratio ipsa quoque sinè ullis aliis fat potens, mutuam grati, & amantis animi vicem à nobis elicere. Cùm nemo inter homines sit tam barbari, & agrestis ingenii, qui ab aliquo citra ullam vel obligationem, vel utilitatem assiduis, nec vulgaribus beneficiis cumulari se aspiciens, non emollescat, & simili erga hominem adeò sibi amicum benevolentia affectu incendatur: imò cùm ipsæ etiam cædibus innutritæ, nihilque, nisi sævum spirantes belluæ visæ sint pluries iis, quorum opem in morbo, vel alio casu expertæ fuerant, grati amoris, & obsequii signa edidisse: ceu inter alias complures exemplo esse potest illa apud Plinium aspis, quæ unum ex suis foetibus dilaceravit, quod virulento morsu necem hominis se pascentis filio intulisset; (L. 10. c. 74.) Adeò, *etiam in immitissimo animalium genere*, amor suæmet ipsius sobolis amor erga bene de se merentem prævaluit. At quis, rogo, ex hominibus universis visus, auditusque unquam est, alteri homini, etiamsi inti-

mo amico, etiam si unico filio charitatem exhibuisse adeo gratuitam, profusamque, & munificam, ut comparari cum ea mereatur; quàm nostrum cuiuslibet supremus universitatis Dominator exhibuit? Percurrantur animo tot amplissima munera nullis præeuntibus nostris meritis, sed per ultroneam solummodo liberalitatem ab eo nobis collata, tam in naturali ordine, ut corpus, anima, spiritus, vita, sensuum facultates, intelligendi vis, rationis usus, arbitrii libertas; quàm in supernaturali, nempe altissimus gratiæ, altioremque gloriæ status, ad quos dignatus est humilitatem nostram evehere: jam nunc in amicorum, & filiorum loco nos habens, promittensque mortali vita functis beatissimam hæreditatem immortalis sui regni. Quanta hæc, quæso, sunt beneficia? Quidve vel minimo eorum simile ab ullo hominum, quamvis nostri amantissimo, seu aliquando accepimus, seu sperare unquam possumus? Cogitetur providentia, quam nostri gerit, adeo assidua, & in omnes partes intenta, ut nullum vitæ nostræ momentum præterfluat, quo de nobis non cogitet: nullam aggrediamur actionem vel minimam, in qua suo nobis præfenti adjutorio non adsit: nihil circa nos in mundo eveniat, quod
ad

ad nostram utilitatem non dirigat. Quisnam seu ex intimis cognatorum, seu ex fervorum fidissimis, tam continua, tam fideli, tam benevola sedulitate inservire unquam nostris u- sibus potest? Expendatur mira, & incredibili- lis patientia, qua tot, tamque graves injurias, à nostra perversitate incomparabilibus illius beneficiis redditas, tulit, nunquam non dico abnuens, sed nec differens ullam earum, quan- tumvis abnormem, centiesque, aut millies re- petitam, simul ac facti poenitentes, veniam exposceremus, nobis remittere. Quid dici- mus de amore tam firmo, tam altis radicibus nixo, & ultra omnem humani amoris consue- tudinem quantascunque inter oppugnationes constante, & invicto? Revocentur in memo- riam, quæ, ut nos ab interitu vindicaret, nun- quam alibi audita, & humanam fidem trans- gressa, edidit charitatis prodigia, nil veritus, ea de causa mortale corpus induere, & post assiduas triginta trium annorū in terris trans- actorum ærumnas, acerbissimam demum ne- cem super infami crucis patibulo, plagis, do- loribus, contumeliis, atque probris undique onustus subire. Ullusne amicorum morta- lium, ullusne frater, aut genitor talia pro no- bis perpeti sustinisset? Animadvertatur po-

stremò, immensam hanc adeò, & prodigiosam charitatem exhibitam nobis fuisse, non à persona aliqua sanguinis nexu nobis conjuncta, nec à Rege quopiam terreno, qui externa duntaxat fortunæ dignitate, & præstantia supra nos emineret; sed ab infinitæ magnitudinis, naturæque Domino, ut singulare benignitatis specimen videri posset, si vel unico amanti obtutu nostram humilitatem dignatus fuisset: eúmque ad nos ità amandos nullis nostris prioribus benefactis, neque ulla mercedis, & utilitatis à nobis recipiendæ spe impelli potuisse, sed mera nativæ suæ bonitatis propensione, & huic consentaneo quàm optimè de nobis merendi desiderio esse inductum. Recolantur animo, inquam, hæc capita, quæ ego nunc strictim attingo, quòd alibi enucleatius tractaverim: ac deinde æstimetur, jurène hominis appellationem ferat, an potius inter belluas recensendus, imò ipsismet belluis immitior putandus sit, qui nullos mutui amoris sensus erga tam bene de se meritum, adeoque amantem sui Dominum concipit.

5. Proh DEUM immortalem! creduntur hæc à nobis, an pro inanibus fabulis, atque somniis habentur? Aliquàmne in animis nostris sui speciem relinquunt? An, ceu barba-

ba-

baro expressa idiomate, ultra aures non transeunt? Enim verò neque Orthodoxa fides de illorum veritate dubitare nos finit; neque humanitatis, & grati animi sensus. Si ea rite credimus, omnino per incuriam negligere, neque rationis lumen, si vel mediocri cum attentione meditanda interdum sumamus, minora maximis ducere, Ubinam ergo sunt nostri sensus, nisi hujusmodi obligationes advertunt? Ubi nostra corda, nisi illius amore incenduntur, cujus tam fervens erga nos amor fuit? *Si amare pigebit*, inquit Augustinus (*De Catech. Rud. c. 4.*) *saltem redamare non pigeat.* Rite, & secundum legitimam consecutionem dictum olim Jacobo est, (*Genes. 32.*) *Si contra DEUM fortis fuisti; quanto magis contra homines prevalebis?* Et cur similiter ratiocinari de amore etiam non liceat, imò falsa circa ipsum dicta consecutio deprehenditur, adeò ut, qui tam fortis ad inflectendum omnipotentem DEUM fuit, tamque immenso eum ardore succendit, nè scintillam quidem sacri hujus ardoris excitare in animis hominum queat? Portentosa res visa Moyse est, quòd rubus silvestris in medio igne arderet, & non combureretur. (*Exod. 3.*) At portentum longè mirabilius fuerit, quòd hominis cor, car-

neum . tenerum , & amandi causâ factum inter flagrantissimos divinæ erga ipsum charitatis æstus non modò non absumatur , sed neque incalescat ? *Vadam , & videbo visionem hanc magnam , quare non comburatur rubus .* Quodlibet ex commemoratis hìc DEI beneficiis sufficeret ad nostrum sibi vendicandum amorem : & omnia in unum collecta non sufficiant ? Homini , qui paria nobis exhibuisset charitatis suæ documenta , perpetuam servitutem nos debere arbitraremur : & minus DEO nos debere arbitrabimur ? Nullis , & si totas impenderimus vires , externis operibus , atque obsequiis æquam vicem referre illius benignitati possumus : & interiori saltèm cordis affectu ei utcunque respondere non conabimur ? *Ab impium . impium est hunc non diligere , cui respondere non queas , etiam cum dilexeris . (Euchar. Ep. ad Valer.)* Ii certè nos sumus , qui nullum æquè in aliis detestamur , ac ingrati pectoris vitium : quonam igitur pacto illud idem tolerare , ac fovere in nobis possumus , quantum nullo unquam tempore alibi extitit ? Apage , ab humano convictu , imò à tota rerum universitate monstra adeò execranda , clamat Gentium Apostolus : (*I. ad Cor. c. 16.*) *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum , a-*

nathema sit. Ità sanè denuntio, & palàm edico, si quis hominum est, qui tam eximiis charitatis significationibus à DEO provocatus redamare illum abnuit, devitetur ab hominibus, tanquam pestifera lue infectus, tanquam devotum diris caput, tanquam terrarum, cælique odium. Extorrem faceffere ab uribus homines jubeant, nè habere cogantur præ oculis tam infame sui generis probrum. Errantem, ac profugum nolint suas intrà filvas leones, tygridésque admittere, nè illius ab exemplo novos feñtatis hæctenus sibi ignotæ mores condiscant. Quin & ipsi Apenini, atque Caucasi recipere eum suis specibus nolint, abominantes hominem, qui per improbitatem nihilo minùs sensu animi careat; quàm illius se exortem finxit natura. Undique ejectus neminem nanciscatur, qui se excipiat, præter inferos, unicam convenientem, & propriam ingratorum sedem. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.*

6. Quid porrò, si prædictis rationibus amandi DEUM super omnia, novas, nec minùs per se sufficientes, atque idoneas ipsemet nostri amor adjungeret? Quantum indè augetur, magisque non modò inexcusabilis,

verum etiam incredibilis appareret illorum nequitia, qui neque proprii sui boni respectu permoventur ad satisfaciendum iis obligationibus, quas ob summam earum æquitatem nedum sine ullo proprio emolumento, sed & cum quantovis suo impendio deberent implere? Atqui illas ipse etiam pro virili, & quidem validissimas adjicit. Nam neque amare semet ipsum verè potest, qui summum suum bonum non amet; nec aliud est cujusvis rei summum bonum, quàm in quo perfecta sua beatitudo, ultimusque suus finis consistit. Quamobrem, cum nusquam, nisi in DEO, perfecta hominis beatitudo, ultimusque finis consistat; quonam pacto fieri potest, ut aut illum non amans revera se amet; aut verè se amans, non ad illum quoque amandum ab hoc sui amore incitetur? Adde huc præterea, quòd non solum DEUS sit summum hominis bonum; sed illius quoque amor inter omnes aliarum rerum amores maximè homini utilis, ut qui animam plùs cæteris quibuscunque amoribus nobilitat, locupletat, & satiat: ut proinde, si aliquo nostræ utilitatis studio tenemur, veluti nusquam fructuosius, quàm in DEO collocare amorem nostrum possumus, sic eundem vel unicè debeamus, vel plùs cæteris quibusque objectis amare.

7. Et sanè, ut à primo prædictorum trium fructuum, nimirum nobilitate ordiamur, meridiana luce clariùs patet, tantò hanc secundùm geometricam proportionem loquendo, majorem referri ex divino, quàm ex alio quovis rerum creatarum amore; quantò Deus est objectum quibuscunque aliis sublimius. Quemadmodum enim neminem latet, quàm proprium cujusvis amoris sit efficere, ut anima objecti à se amati naturam, qualitates, conditionémque induat, & quodammodo in imaginem illius transformetur; ità nemo non palàm perspicit, quantò eadem celsiùs assurgat, magisque nobilitetur, dum per interiorem hujusmodi metamorphosim ex suo non plùs, quàm creato, & humano in altissimum supremi rerum omnium Conditoris esse transgreditur; quàm si creatas res amans in earum similitudinem, atque indolem transeat: cùm nulla ex his non longissimè infra DEUM, pleræque verò eà ipsà longè inferiores sint: adeò ut amare illas nequeat, quin è sublimiori suo gradu ad earum se humilitatem demittat. Comparetur status, ad quem Esther conscendit, quòd Assuero centum, & viginti septem provinciarum Regi nupsit cum statu, in quo remansura erat, si fossorem, vel baju-

lum sibi virum legisset: & habebitur rudis aliqua imago diversissimarum conditionum, quas anima sibi adoptat, quoties vel cum supremo universitatis totius Domino, vel cum quapiam ex rebus ab eo procreatis per connubium amoris conjungitur. Rudis imago, inquam: neque enim ullum amari ab ea ens creatum potest, quod, quantumcunque inter cætera ejusdem ordinis, generisque emineat, non infinitò amplius à divina Majestate excedatur, quàm Assuerus per regale suum decus abjectissimo cuicumque homuncioni antecelleret.

8. Summa itidem, neque minùs ad intelligendum perspicua est inæqualitas lucri, quod DEUM, & alia inferiora bona amando adipiscimur. Nullus quippe, esto vehementissimus, horum amor per se unum fat est, ad nos in possessionem boni amati inducendos. Cùm altera ex parte DEUM amare idem sit, atque illo re ipsa potiri. Quæ diversitas scitè animadversa, & expressa à D. Augustino est, ubi amorem pecuniæ cum amore DEI comparans: (*Serm. 2, de Divers.*) Numquid, inquit, hoc est amare, quod aurum habere? Multi amant, & non habent. DEUS nobis de compendio se offert. Clamat nobis: amate me, & habebitis me.

Quo-

Quocirca, cum omnis amor ad possessionem rei amatæ, veluti ad finem suum tendat; male bona creata, quàm DEUM summum bonum amare, nihilo minùs dispendiosum, atque imprudens consilium videtur, quàm si quispiam pro eo, ut aurum quærat in Peruvix fodinis, ubi princeps illud metallum certam, paratamque se offert eruentium manibus prædam, vellet plumbum potiùs vilissimum metallorum, & in arentibus quidem Lybiæ desertis rimari, ubi tanquam in solo metallorũ omnino inopi, nè unciolam quidem adamati quæstus, esto ad extremam usque lassitudinem fodiens, & laborans inventurum se novit.

9. Quid postremò de satietate, & quiete dicemus, quæ in DEO amando invenitur? Ullumne est aliud objectum, cujus ex amore polliceri nobis æquè plenam possimus? Ah nullum, ait D. Bernardus. Cum enim anima hominis facta sit ad fruendum bono infinito; quinam fieri possit, ut in ullo ex bonis creatis, imperfectis omnibus, & naturâ finitis, pabulum, aviditati suæ omnino satiandæ, atque explendæ sufficiens nanciscatur? Delirantis, séque ultrò fallentis animi esset, id credere. Et si rei veritatem, per se cæteroqui apertissimam, libet adhuc manifestiùs perspicere; inter-

terrogate opulentissimum quemque Regum ,
num thesauris , & vectigalibus suis ita ad ple-
num contentus sit , ut nullam iis accessionem
feri optet. Interrogate , qui bellicæ laudis ,
vel ingenii , doctrinæque præsidio splendidi-
orem inter homines sibi comparaverint fa-
mam ; sufficiatne ipsis præsens nominis clari-
tas , an eam latius extendi , & novis cumulari
ulterioris gloriæ proventibus velint. Inter-
rogate illos , dixi : & mentiar , nisi respon-
dentes audieritis , parùm sibi videri , quidquid
hactenus consecuti sunt opulentia , atque fa-
mæ præ tantò majori utriusque amplitudine ,
quam adhuc possent , ideòque & cuperent
consequi. Nec dissimilis procul dubio erit
responsio , quam interrogantibus , sive circa
imperii latitudinem , sive circa voluptatum
affluentiam , sive circa quodcunque aliud
mortalium bonorum genus ii reddent , qui
hujusmodi fortunæ muneribus maximè abun-
dant : plùs omnes intenti animo in id , quod
acquirendum sibi superest , quàm in id , quod
acquisivisse jam contigit : ac propterea nihi-
lo vacui , & sitientes minùs in exuperanti sua
copia , quàm reliquorum hominum vulgus
in sua tenuiori fortuna. Usque adeò *ad ima-*
ginem DEI facta rationalis anima cæteris omni-
bus

bus occupari potest, impleri non potest. Capacem DEI, quidquid DEO minus est, non implebit. (S. Bern. in Declam.) Unde sequitur observatus ille à D. Augustino effectus, ut misella, ceu in nullo præsentium bonorum optatam satietatem reperit, sic in nullo quiescat: sed vix uno delibato ad aliud appetendum, gustandúmque se vertat: assiduè commutans sua vota, repudians, quod paulò antè appetiverat, nullámque cupiditatem concipiens, cui exemplo non succedat fastidium. (*Aug. in Ps. 102.*) *Ad quodcumque me convertero, vilescit mihi adeptum, quanquam accenderit desideratum.* Præsertim quòd terrena quævis bona huic jam memorato tenuitatis suæ vitio bina insuper alia, nec levis momenti adjiciunt: quòd scilicet neque acquiri semper possint, quanta optaremus, & acquisita semper possint vel maximè invitis nobis deficere. Quare eorum amator, præterquam quòd in nullo ex iis plenam satietatem reperit; in quocumque etiam uberem timorum, atque ægritudinum materiam offendit: timorum quidem, utpote semper incertus, num sibi continget, sive adipisci, quod desiderat, sive adeptum possidere, quòd velit: ægritudinum autem, utpote continenter aspiciens, (quod in bonis adeo instabilibus
fre-

frequentissimum est) jam hujus spem sibi in irritum cadere, jam illius possessionem perire: cum neque anxietatis vacuus possit vivere, qui incertum bonum amat; neque expertus mœroris, qui bonum amatum sibi intercipi videt. Idque adeò certum quotidiano usu est; ut, quisquis suas omnes transacti ævi ægritudines instituat ad examen singillatim vocare, nullam omnino reperturus sit, quæ à creati cujuscumque boni amore ortum non duxerit. Unde etiam planissimè arguet, si nullum ex istiusmodi bonis unquam amasset; nullam se in omni sua vita molestiam, ægritudinè que animi sensurum fuisse. En igitur, quosnam bona creata suis pariant amatoribus fructus: uberrimam nempe, & continuam perturbationum, anxietatum, mœrorum, ac solitudinum messem. At nemo idem suspicetur de DEO, qui, cum plenissimam omnium possibilitium bonorum universitatem in se uno contineat; nil animæ per amorem secum copulatae ultra desiderandum relinquit: & veluti, ut certissimè acquiratur, ac perpetuò possideatur, nihil præterquam amari exigit, nec unquam minùs possidetur, quàm amatur; ita fieri non potest, ut ullam inquietudinis, tristitiæque afferat, nisi aut se non amantibus, aut

aut imperfectè amantibus causam. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo. (Ps. 33.)*

10. Si ergo quæcunque integerrimam amabilitatem constituunt, simul juncta, & secundùm omnes perfectionis suæ numeros in DEO existunt, cùm nemo alius reperiri usquam possit, sive tam singularibus prærogativis conspicuus, quin ab eo infinitè excedatur; sive adeò nostri amans, ut illius beneficentissimam erga nos charitatem æquet; sive qui tantum se amantes nobilitet, locupletet, ac satiet; quantum ipse bonum, ceu quibuslibet aliis immensò intervallo excellentius; ita etiam inter quæcunque alia tum acquiri, tum conservari facillimum: si hæc, dico, tam perfecta, nullòque non in genere incomparabilis illius amabilitas luculentissimè à nobis demonstrata jam est, nec ab ullo revocari in dubium potest; quænam tandem excusatio hominibus superest, adeò plerumque amoris sui prodigis erga quodvis objectum, in quo vel tenuissimæ amabilitatis radius subluceat, adeoque contrà lentis, & segnibus ad amandum hoc unum, in quo, quidquid cætera omnia præclari, obligantis, & frugiferi habent, cum immensa exuperatione collectum se objicit?

Ex-

Excusari forsan se dicent, quòd ipsum haud satis cognoscant. Sed hoc erit illius non amandi causam potius asserere, quàm culpam minuere. Quàm enim verum est, idcirco ab iis DEUM non amari, quia ignari illius sint, juxta illud D. Joannis effatum, (*Ep. 1. c. 4.*) *Qui non diligit, non novit DEUM*; tum iudice D. Cypriano, culpari merentur, quòd negligent illum cognoscere, quem præ omnibus debent amare. (*De van. Idol.*) *Hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possint.* Objiciunt se ipsis, hinc illa, vel illa res creata, indè summus omnium Creator, certatim poscentes, ut præstantissimam inter suas facultates, ipsummet nempe suum cor sibi donent: *Præbe cor tuum mihi*, illa dicit: *Præbe cor tuum mihi*, hic reponit. Parvè adeò id negotium momenti est, ut decidere illud par sit, priusquam accuratè quæsitum de competitorum qualitatibus fuerit, & maturo, ac solerti pensatum examine, uter assensu dignior sit, utri plùs debeatur, ex utro major reportari utilitas queat? Hujusmodi certè providentiâ uti omnes solent, vel in deliberationibus, ubi de minori, quàm hîc, re agitur: putà ubi in controversiam venit, quemnam ex pluribus Advocatis, seu Medicis eligere magis expediat: hoc-

hoccine, an illud fanciendum potius con-
nubium: hæne, an illæ emendæ sint merces?
Quas inter, aliásque similes electiones, nemo
est adeò temerarius, & in iudicando præceptus,
ut ex duabus propositis partibus eam confe-
ssim, quæ sibi est notior, nulla prius habita
de alterius meritis inquisitione amplectatur:
præsertim, si in prima illa permultæ, nec exi-
guæ imperfectiones appareant, de alterius ve-
rò præstantia insignis latè rumor circumsonet.
Quonam igitur pacto, cum in disceptationem
veniat, utrínam potius suum amorem, hoc
est ipsummet suæ animæ cor donaturi sint;
creatisne rebus, quarum, esto bonitatem vi-
deant, multò plùs tamen huic admistum odio-
si, & fugiendi simul vident; an DEO, cujus
incomparabilem excellentiam non ambiguis
famæ popularis rumusculis, sed certissimis fi-
dei testimoniis celebrari audiunt; nullam hu-
jus clariorem notitiam secum ratiocinando
exquirunt: sed per amentiam prorsus incre-
dibilem, omni posthabita comparandæ invi-
cem utriusque partis cura, nihilque cogitan-
tes, quàm inæstimabile sibi dispendium ex tam
vecordi electione proventurum mox sit; a-
morem suum, & sese cum eo totos illis addi-
cunt? O amabilissime DEUS! ô infinitum

L

per-

perfectionis, bonitatis, & pulchritudinis pelagus! ô totius nostri boni munificentissime Author! ô ultimus finis! perfecta beatitudo! & plenissima nostrorum cordium satietas! Itane fieri potest, ut te tantum, adeoque incomparabile objectum intueri semper cogar, apud pleramque hominum partem prorsus oblivioni traditum, totius debiti amoris expertem, & pretii terreno quovis bono minoris? Itane fieri potest, ut, cum ad te amandum validissimis urgeamur rationibus, quas vel honestas suppeditare, vel utilitas queat: cumque ad justum tibi amoris vectigal persolvendum, nescientia quidem nobis corda sufficerent; nullæ tamen rationes vim habeant impetrandi à nobis, ut vel unum, & perangustum hoc corculum, cujus capax natura nostra est, tuo totum amori sacremus; imò ut aliquam saltè illius partem tibi reservatam velimus, neque totum res creatæ auferant, & inter se partiantur? O perversitatem! qua nihil cogitari detestabilius potest, nihil ab omni ratione alienius, nihil seu DEO injuriosum, seu noxium, & exitiale homini magis.

II. Ah tu saltè, pie Lector, nè quæso DEUM tuum, & pro incomparabili suæ naturæ excellentia amari dignissimum; & qui te
pri-

prior, tametsi omnino indignum, plus quam paterna charitate dilexit; & in quo amando tua omnis perfectio, ac beatitudo consistit; nè talem, inquam, tuum Dominum tributo defraudare, adeò ipsi debito, adeò tibi utili, velis: sed universas tuæ mentis cogitationes, universos tui cordis affectus, universas tui animi facultates, & vires in illius amorem impende. Et quid peti à te potest suavius, tuæque naturæ consentaneum, & accomodum magis, cum nihil petatur aliud, nisi ut ames objectum, quo nihil est amabilius, tuum nempe verum, summum, atque unicum bonum? *Ratione plenissimum est*, (non suo magis Valeriano, quam unicuique hominum scribit D. Eucherus) *te illum, in quo habeas omnia, amare præ omnibus*. Ego certè nequeo perspicere, ubinam nostræ voluntates, nostræque appetitiones sint, si externo hic quopiam incitamento egent, nec potius per sese, atque innato suo pondere ad exercitationem adeò sibi convenientem nos rapiunt. Quid enim? mutatane est rerum natura? Amisitne bonum insitam sibi pelliciendi amoris virtutem? Nec voluntas usitatam erga suum objectum propensionem jam retinet, & simulacri aliunde, & vim sibi inferre opus habet ad amandum a-

mabile? Quin imò tam à vero alienum id est, tamque vehemens in ea permanet naturalis suus instinctus erga quodvis objectum, in quo amabilitatis quidpiam seu videat, seu videre se arbitretur, ut ad eam retinendam, nè post bona inania, vetita, & perniciofa cæco impetu ruat, necessarii sint, & sæpe vix sufficiant omnes in adversum rectæ rationis conatus. Nisi fortè opinemur, hanc rapiendæ illius vim boni tantummodo imaginarii, pusilli, ac mutabilis, non verò summi, perfecti, & infiniti boni esse propriam. Quod perinde absurdum foret; ac si nequidquam naturali ratione, ipsaque adeò experientia reclamante opinaremur, seu calefaciendi vim, nulli non igniculo communem, Vesuvii incendiis deesse; seu illuminando aëri tenuem quemvis lychnum sufficere, immensam verò solis lampadem non sufficere; seu tandem, ubi summa agendi sit virtus, ibi minorem, majorique cum labore effectum produci. Durum quid, ac duumque, & violentum videtur cuiuspiam DEUM amare? At ego contra assevero, si ille locò præcepti interdictum potius hominibus se amandi posuisset; hoc fore, quod maxime durum, & grave videri nobis deberet inter omnia divinæ Legis præcepta. Uique adeò

adeò voluntas humana summi illius boni causâ facta est, proin, dummodo illud rite cognoscat, proprio quodam, & necessario penè instinctu ad illius amorem urgetur.

CAPUT VIII.

Quàm plenum, & universale super omnem animam sit amoris dominium: quantâque cum facilitate, qui ex toto corde amat DEUM, cæteros quoque sui animi affectus, & motus eidem subjiciat.



Mor unus quidam re ipsa est affectus, sed qui omnium affectuum instar videri possit: adeò suam omnibus imprimit speciẽ, omnẽque pro arbitrato suo moderatur, & servire suis propensionibus cogit. Si erga objectum aliquod per desiderium tendimus, amor eò nos impellit. Si ab aliquo alio per odium, & aversionem refugimus, idem nos indè avocatur. Ille supremum mobile est, quod inferiores omnes orbis in nostro microcosmo circumagit: ille princeps rota, quæ reliquis omnibus in animæ nostræ horologio motum